

Quaestio medico-chirurgica, an qui tumores deleri debent, ferro potius, quam cauterio potentiali, delendi? / [Anne-Claude Dorigny].

Contributors

Dorigny, Anne-Claude.
Casamajor, Antoine.
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Quillau], [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b88kwymm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-nono

mensis Martii, Anno Domini M. DCC. L.

M. ANTONIO CASAMAJOR, Censore Regio,

Doctore Medico, Præside.

An qui Tumores deleri debent, Ferro potius, quàm Cauterio potentiali, delendi?

I.



ROTUBERANT passim in corpore humano Tumores, mole, figurâ, colore, duritie, cæterisque adjunctis adeò dissimiles, ut, licet ad genus aliquod possint ut plurimum revocari, de specierum numero nondum satis constet. Inter eos, complures universalibus modò, modò particularibus remediis, sæpè utrisque, vel ad suppurationem, vel ad resolutionem feliciter perducuntur. Quæ si frustra tentata fuerint,

supereff, crudele quidem, at non semper rejiciendum præsidium. Ex ipso enim amaritudinis fonte surgit aliquid grati, sanitas nempè, quo dolores possint abundè simul & jucundè pensari. Consistit illud opus in Tumore auferendo, quod instrumento multiplici confici potest. Vel enim funiculis religatus Tumor, aut inermibus digitis prehensus convellitur: vel laqueo paulatim, ab imis radicibus, sic strangulatur, ut spontè post paucos dies decidat. Leniter etiam contorqueri potest ope forcipis, aut ignito ferro comburi. Duo sunt tandem vulgatoris usus, Cauterium, quod aiunt, *Potentiale*, & Cultellus, quorum primo Tumores sensim consumuntur, altero, statim rescinduntur. In iis interim abolendis sunt multa, ad quæ nisi sedulò advertatur, opera erit, si non semper exitiosa, saltem aut difficilis, aut parùm fructuosa. Pri-

mò igitur quæ tolli debent ea tantummodò , at omninò tamen , tollantur. Cutis , quantum res finit , post factam operationem , integra remaneat. Arteria aut vena insignis , si qua vel incautè , vel necessariò aperta fuerit , conspectum non fugiat. Tendones , nervi , membranæ ne molestè quoquomodo , afficiantur. Quàm brevissimè fieri potest , pars affecta doleat. Ex Cauterio autem & Ferro , alteri præferri debet alterum quod supra memorata valet præstare.

I I.

CUINAM usui tot , inter operandum , astutiæ si quis scietur , in promptu responsio est. Plurima , nempè , simul ex iis exurgere commoda , & arceri pericula. Enimverò si Tumor sic auferatur , ut nihil ex eo supersit , quod recidivæ metum incutiat , aut quoquomodo sit nociturum : nec intereà cæterarum partium ulla lædatur quæ servari debent , feliciorum curationem consequuturam esse satis elucescit. Deinde cutem non deleri parvi non est. Hoc pacto potest , intra paucos dies , cum fundo vulneris coalescere. Illud si præstari possit , præcavetur suppuratio , quæ , si nimis copiosa fuerit , debilitatem summam affert , imò lethalem sæpè *marasimum* , si suppressa , febrem & inflammationem , si moderata & laudabilis , tardam curationem. Non est tamen diffitendum adeò opportunam quandòque esse suppurationem , ut sæpè , absque noxâ , prohiberi non possit. At nobis satis erit , si , nonnullis in casibus , utiliter prævertatur. His etiam addendum videtur cutem , cujus usus ignotus nemini , ubi semel sublata fuerit , arte nullâ posse reparari. Num itaque rem levissimi momenti crederes , quòd , ipsâ deperditâ , cicatrice , in plurimos menses protractâ , veluti precariò , vulnus obducatur ? Prætereà unum tantum contingere potest , ut reverâ non semel contigerit , arteriæ alicui , scilicet , aut venæ insigni inflictum fuisse vulnus. Huic calamitati , promptâ ligaturâ , succurrendum. Sed quânam arte præsens adhibebitur auxilium , nisi instrumenti , inter operandum , delectu , cautum fuerit quominus apertum vas , intra circumfusas carnes , citâ contractione , delitescat. Quod tendones & nervos spectat , nemo nescit eos sensu exquisitissimo esse donatos , ob eamque rationem faciliè admodum irritari. Levi de causâ dolorificè convelluntur , undè oriuntur tensio maxima , duresces , longè circa partem affectam , quandòque abscessus periculosissimi , nisi citiùs delirio , convulsionibus , imò ipsâ gangrænâ supervenientibus , mors accita fuerit. Longioribus tandem doloribus hominem torquere inhumanum est , quem brevioribus sanare possis. Quæ ratio , si cuiquam non arrideat , febrem , vigiliam , virium lapsum , solitas longiorum dolorum comites , consideret.

I I I.

PLURES sunt Tumorum species , quàm ut singulas possimus describere. Illud tantum monemus , de Tumoribus omnibus hic non agi. Permulti siquidem observantur à quibus non temperare manûs nefandum esset , veluti quandò aut nervis , aut tendonibus hærent , aut vasis majoribus , quarum partium summi discriminis foret vulneratio. Nec etiam deleri debent qui , longâ morâ , maximam in molem creverunt , nisi fortè tenui pediculo , quod rarò tamen occurrit , pendeant. Sunt è contrâ quos parùm sapienter intactos relinqueres. Tales sunt qui pondere nimio , situ inopportuno , partem aliquam valdè gravant , sicque organi alicujus ad vitam necessarij functionem intercipiunt. Non magis ignoscendum est iis à quibus timeri potest ne , lapsu temporis , in immensum augeantur , aut , pejorem induendo naturam , in ulcus mortiferum desinant. Ex hac profapiâ , instar omnium sint *Scirrhus* , *Cancer* , & prætereà Tumores nonnulli qui , ratione materie quam continent , diversa sortiuntur nomina. Si ea nempè mel referat , *Melicerides* , *Atheromata* si pulticulam , si sebaceum quid aut adiposum filamentis membranisque intertextum , *Steatomata* nuncupantur. Hæc solâ ratione differunt. At illud inter se

commune habent quod singulorum materia, plerumque sacculo comprehendatur, qui sacculus nihil videtur esse quam folliculus adiposus, præter naturam, valde amplius. Hujusmodi verò sacculi quandòque sic indurantur, ut æmulentur corium duritie. *Scirrhus* est Tumor inæqualis, durus, renitens, indolens, persæpè in glandulis, prægressâ plerumque inflammatione, nascens. Consistit autem in congerie quâdam abnormi atque intricatissimâ vasorum induratorum, quæ, lymphâ inspissatâ, maximam partem, obturantur. Facile in Cancrum potest migrare, cum, pressione jugi, succis concrecentibus, vasculorum cavum omninò oppletur. Tunc circuitus sanguinis ibi penitus deficit, magis ac magis indurantur vasa, crescit tumor atque exporrigitur in radices quæ ad corneam duritiem assurgunt. Pruritus sentitur molestus, dolorificus. Tandiu se res habet, quamdiu non ulceratus est Cancer. Sed concretus humor tandem expanditur. Quâcumque autem de causâ vehementiori fortè sanguinis impulsu, calorem concipiat, turgescit in parte affectâ tantò majore æstu, quantò violentius compactus fuerit. * Tunc non simplex dolor urget, sed cruciatus intolerabilis, quasi tractus ignei. Cutis succo rarecente pressa nigrescit, corripiturque gangrænâ ac tandem rumpitur. Hiat ulcus fœdum, marginibus extorsum versis, fanie tenui, erodente stillans, aspectu horrendum, immedicabile. Cancri eò usque progressi curatio non debet suscipi, at solummodò, cum, primis initiis, sub cute adhuc integrâ, ad digitorum nutum fluctuat, necdum, in partes subjacentes, altas radices egit. Tunc potest deleri sicut & Tumores præmemorati, quibus etiam possunt addi Ficus, Fungus, Polypus aliique quamplurimi. Sed quâcumque in Tumorum ablatione commendavimus, ea maximè Cultello præstari certum est, contraria verò Cauterio inveni.

* DD. Astruc,
de Morb. Ven.
ner.

I V.

QUID enim Cultello chirurgico tutius aut commodius? Cauterio quid magis inopportunitum intuitumve? Cultello, si præsertim manu prudentiæ non experte gubernetur, non aliæ cæduntur partes, quàm quæ cædi debent, omnes verò possunt excidi, quæ sunt excidendæ. Cauterio non item. Vel enim sub pulveris formâ, inspergitur, vel apponitur unguento mixtum, vel aquoso aliquo vehiculo dilutum. Quoquo autem modo usurpetur, ut ut dextrè id fiat, præcaveri nunquàm potest quin hanc vel illam partem, aut acrius, aut moderatius comburat, prout molliorem invenerit aut solidiorem. Hinc quoque, vel inde divagari potest, eaque rodere quæ integra manere debuissent, intacta verò relinquere quæ forent consumenda. Sunt etiam nonnullæ Tumorum partes quarum ne vel minimam superesse multum interest, sacculos puta occallatos, vel ipsas Cancrorum radices. In eas, quoniam nullum ferè habent cum sanguinis circuitu commercium, irrita planè est vis Cauterii. Volsellâ è contrâ, vel digitis prehensâ, Cultelli operâ, levi prorsus negotio, separantur. Deindè præcaveri nunquàm potest quin Cauterio penitus destruat cutis, at Scalpello facile servari potest, siquidem cruciatim, aut quovis alio modo inciditur, extremis digitis postea separantur anguli, vulneris fundo, post sublatum Tumorem, si visum fuerit, aptandi. Tertiò si vel ob nimiam in operando celeritatem, imperitiam, vel *anomalem* vasorum, quam vaticinari fas non est, distributionem, arteria aut vena non spernendæ magnitudinis aperta fuerit, illicò, nihilo obstante, ligari potest. Scalpello enim incisa, statim apparet, nec antè crispatur quàm possit filo constringi, imò, sanguine ubertim erumpente, statim ipsa se prodit. At multò lentius cum Cauterio proceditur, quod, ut possit agere, per tempus aliquod finendum est. Interea si quod vas erosum fuerit, molestè vellicatum, in carnes morâ non mediocriter juvante, reconditur. Ferro tandem (modò cæsîm, non verò punctim id fiat) multò minori periculo, quàm Caustico, tendones, nervi, membræ vulnerantur, quæ tutò & quandòque datâ operâ omninò resecantur. Ex

4

Cauſtici autem moleſto & dolorifico morſu funeſtiſſima, qualia jam diximus, cientur ſymptomata.

V.

EX eo quod læſa Cauſtico arteria ſtatim ſtringatur, atque retrahatur in carnes, verum eſt cohiberi ſanguinem, ſed ad breve tempus. Nam ubi primùm remiſit aſtringens Cauterii vis, ſanguis eò majori pertinaciâ effluit, quò deligandæ arteriæ non ampliùs detur occaſio. Facile tamen conceſſerimus, per Cauterium, minimis ſaltem in vaſculis, ſubitaneam & durabilem eſſe ſanguinis cohibitionem. ſed exindè Cultri utilitas magis elucet; ſiquidem ex vulnere, per ipſum inſlicto, manat ſanguinis ſufficiens quantitas, quâ prævertitur inflammatio, quæ ſemper, ap- poſito Cauſtico, nimia conſequi ſolet, ob id imprimis, quòd ſanguis nullus efflu- xerit. Fruſtrà quoque oppoſuerit aliquis dolorem eſſe mitiorem ex Cauſtico, quàm ex Cultro. Illud accidit ſolùm quibuſdam in Tumoribus, Fungis forſitàn qui naturâ ſuâ parùm ſentiunt. Sed cæteris in caſibus, præterquamquòd non minùs moleſta ſunt Cauſtica quàm Ferrum, id habent inſuper incommodi, quòd unicâ vice, quem- admodum Culter, Tumores, maximè molis amplioris, delere non valeant. Sed mul- totiès apponi debent, quâ quidem repetitâ appoſitione, dolores jam ſævitiâ æqua- les, multò diuturniores evadunt. Ad hæc frequentiore Cauſticorum uſu Tumores benigni in *Scirrhus*, *Scirrh*i in Cancros immutantur. Partes Cauſtici, cujuſcumque ſit ſpeciei, per apertas vulneris venas receptæ in ſanguinem, venenatam ipſi quali- tatem inducunt, *Arsenicalia* præſertim, quibus ſemel tantùm applicatis, plurimi convulſi fato occubuere. Unum poſtremò obſervabimus circà eos Tumores qui verſùs radicem quaſi in collum arctantur. In iis, quæ collum pertranſeunt vaſa exiliora ſunt, craſſiſſima verò & varicoſa quæ in Tumoris molem diſperguntur. His ergò apertis, difficiles oriuntur *hemorrhagia*, quæ quidem, ſi Cauſtica adhibeantur, vi- tari nequeunt: quippe cum iis, vulgò à Tumoris mole, ad radices pergendo, ite- ratis vicibus proceditur; at ſi culter adhibeatur, ſtatim à radicibus Tumor poteſt excidi.

Ergò qui Tumores deleri debent, Ferro potiùs, quàm Cauterio potentiali, delendi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Jacobus - Franciſcus le</i>	<i>M. Petrus Lalouette.</i>	<i>M. Franciſcus Mery, utriuf-</i>
<i>Chat de la Sourdiere.</i>		<i>que Pharmacia Profeſſor.</i>
<i>M. Joannes-Franciſcus Iſez.</i>	<i>M. Petrus-Joſephus Mac-</i>	<i>M. Joannes - Baptiſta du</i>
	<i>quer, Regia Scientiarum</i>	<i>Bois, Profeſſor Regius Eme-</i>
	<i>Academia Socius.</i>	<i>ritus.</i>
<i>M. Carolus - Franciſcus Bou-</i>	<i>M. Joſephus - Maria-Fran-</i>	<i>M. Guillelmus - Joſephus de</i>
<i>tigny des Preaux.</i>	<i>ciscus de la Sône, Cenſor</i>	<i>l'Epine, Exdecanus, &</i>
	<i>Regius, & Regia Scientia-</i>	<i>Academia Cenſor.</i>
	<i>rum Academia Socius.</i>	

Proponebat Pariſiſ ANNA - CLAUDIUS DORIGNY, Pariſinus;
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H.
1750, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.